

CODEX 13. olim signatus 1/13.

*Foliorum 187, 405 : 292 mm., duplici columna exaratus saeculo XII. sub
b. Frowino abbate, quod innuunt versus fol. 1 :*

O Frowine pater, fugiat te spiritus ater,
Quod David condit, per te liber hic quia pandit.

Codicem ornant nonnullae litterae initiales variis coloribus pictae.

Expositio Aurelii Augustini super tertiam partem psalmorum,
*quae exhibet psalmos explanatos a centesimo primo reliquos
omnes.*

P. L. 37, 1293—1966.

CODEX 14. olim signatus 1/11.

*Foliorum 187, 385 : 242 mm., lineis plenis exaratus saeculo XII. exeunte sub
b. Berchtoldo (1178—1197) et Henrico I. (1197—1223) abbatibus monasterii
Engelbergensis. Aetatem codicis indicant versus sequentes fol. 1 :*

Abbas dum fulsit Berhtolt me scribere jussit,
Unde deus trinus vere quoque noscitur unus.
Sed mox hic dignus, castus pater atque benignus
Carnis onus posuit, praesentia scriptaque linquit
Imperfecta. Sibi successit munere Christi
Dictus Henricus; bonus hic retinereque dignus
Abbatis nomen perfecit et ipse volumen.
Ergo dei pia mamma, tui quae filia nati,
Tu genitusque tuus dignare voluminis huius
Munus blanda datum bona mitis suscipe gratum.

*Litterae initiales partim minio tinctae omni ornatu carent, partim voluta et
folia repraesentantes monstruosis hominum atque animalium figuris inter-
mixtis suffusco colore confectae audaci manu insignique arte sunt delineatae.*

Cfr. Rahn. Geschichte der bildenden Künste in der Schweiz.

Zürich 1876. Pag. 309 sqq.

*Augustinus S. Aurelius. De Trinitate libri quindecim, prae-
missa epistola ad Aurelium.*